Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 2099

Quelle:
Copyright:

VII. *fol.* 125. *Notabilia vtilia reperta ex Ariſtotelis doctrinis per Johannem filium Patricij lingwarum interpretatorem.* Alias *Secreta Secretorum Ariſtotelis ad Alexandrum M.* edita jam Sec. XV. *ſ. l.* et *a.* 4. etiam gallice, item ab *Alex. Achillino* in *Opere Septiſegmentato*, *Venet.* 1516. f. et ibidem a *Franc. Storella* 1555. 8. Congeries Monitorum e Phyſica, Aſtronomia, Medica, Politicaque depromtorum *Arabis* cujusdam, ut videtur, qui Opuſculo ſuo famam ab illuſtri Nomine quaeſierit. De aetate ejus inde conjectes, quod jam Sec. XIII. ab *Alberto M.* in Tract. *de Animalib.* ut *Ariſtotelicum* citetur, quam opinionem primi convulſiſſe dicuntur uterque *Picus*. Vide *Storellae Praef.* ad Edit. mox *cit.* cui etiam inſertum Praefamen interpretis *Johannis*, quod nobis incipit: *Non reliqui locum nec templum, in quibus philoſophi conſueuerunt componere et deponere ſua opera* &c. Cumque in *Storellae* exemplo dicat ſe *primo de græca in romanam deinde in arabicam* linguam *Secreta* haec in *Oraculo Solis* ab *Aeſculapio* conſtructo reperta tranſtuliſſe, noſtrum habet: *de greca lingwa in caldaicam et de hac in arabicam* &c. Meminit *Storella* praeterea alterius *Secreti Secretor. Ariſtot. Ticinii*, ut ait, impreſſi, et a Noſtro non parum diverſi, quam Editionem mihi videre non contigit, quamvis *Mſ.* viderim *Philippum* Presb. *Tripolenſem* interpretem ex *Arabico* memorans. Codices *mſs.* Noſtri enumerat aliquot *Fabricius Bibl. gr.* L. III. c. 6. n. 7. p. 167.

VIII. *fol.* 134. p. 2. *Incipit tractatus de Planetis.* Nugae Aſtrologicae, quae inchoant: *Saturnus qui ſuperior eſt omnibus Planetis* &c.

IX. *fol.* 135. p. 2. *Incipit de Pomo Liber Ariſtotelis.* Excerpta tantummodo ex Tractatu ſuppoſititio, qui ab *Abrahamo Ben Chaſdai Levita* Sec. XII. inclinante ex *Arabico* in *Hebraicum* titulo ס׳ התפוח tractus pluries lucem vidit, redditus latine a *J. Juſto Loſio*, editusque *Gieſſae* 1706. 4. quamvis in hanc linguam verſus a *Manfredo* Principe *Tarentino Friderici* II. Spurio a *Carolo Andegav.* a. 1266. in praelio occiſo jam legatur edit. *Opp. Ariſtotelis Venet.* per *Greg. de Gregoriis.* 1496. p. 370. f. Ita ſaltem ibi Praefatio: *Nos Manfredus — de Hebrea lingua tranſtulimus in latinam.* Res haec *Ant. Mongitorem* T. II. *Bibl. Sic.* p. 29. latuiſſe videtur. Vide cetera apud *Fabric. Bibl. gr.* L. III. c. 6. p. 166. et *Wolf. Bibl. Hebr.* T. I. p. 57.

X. *fol.* 137. p. 2. *Tractatus Ippocratis.* Ad calcem additur: *de egritudinibus cognoſcendis per aſtronomiam.* Rurſus Excerpta potius Libelli ſubpoſititii illius fortaſſe, qui interprete *Petro de Abano* ſeu *Apono* prodiit *Venet.* 1485. 4. inſcriptus *de Medicorum Aſtrologia.* Initium: *Dicit vero Ippocrates. nota de medicis qui*